


Szurowski Stanislai Michaëlis. Propugnaculum fortissimum Orbis Christiani in d. Andrea Apostolo.



PROPUGNACULUM FORTISSIMUM

Orbis Christiani,

IN

D. ANDREA APOSTOLO,

Crucem in manibus gestante,

deuoti cultûs opere

EXHIBITUM,

ET

ILLUSTRI, MAGNIFICO, ac GENEROSO DOMINO,

D. ANDREÆ DE GORYNINO GORYNSKI.

Domino, & Mecænati suo amplissimo,

Recurrente Patroni ipsius annuâ festiuitate.

A

STANISLAO MICHAELE SZUROWSKI,

Artium Liberalium, & Philosophiæ in Alma Academia Cracouiensi Baccalaureo.

Gratulationis, & submissæ Venerationis ergò

Applausu Solenni

DEDICATUM.

Anno Domini 1688. *Die* 30. *Nouembris.* l. l.

35.

CRAC: Typ. NICOLAI ALEXANDRI SCHEDEL, S. R. M. Ord: Typogr.

In Gentilitium Stemma.

ILLVSTRISSIMÆ DOMVS,

GORYNIANÆ,



GORYNIANA Domus roseo quæ Stemmate gaudet,
Et quæ purpurei ſymbola floris amat.
Quæſijt hoc inſigne decus, roſeoſq; nitores
Tot meritis, quibus hæc gratia iuſta data eſt.
Sanguineas acies Martis cùm fuderit; inde
Hæc ROSA profuſo ſanguine tincta rubet.

Illuſtr: & Magnificæ Dominationis Veſtræ

Obſequentiſsimus Filius, & Cliens,
IOSEPHVS GORYNSKI, Gram: Alumnus.

PRO-



PROPVGNACVLVM FORTISSIMVM Orbis Chriſtiani.

Contra funeſta, cruentaq; ſæuientis Martis, Bellonæq; excidia,
Contra immanem Othomanicæ potentiæ mucronem,
Quis
Athlantis, Herculiſuè non aſſumet Vires?
Quis inquam
Chriſtiano Orbi,
Inter tot aduerſitatum procellas,
Inter Syrtes, & Charybdes nauiganti
ſuppetias non feret?
Eidemq;
In propugnaculum fortiſſimum,
Plùs quàm Cecropiâ non aſſurget Acrocorintho.
Nam
Nil prodeſt Clypeorum munimentum, quod primi
Pretus, & Acriſius inter ſe bellantes antemurale
Corporum ſubijſſe feruntur:
Nil prodeſt Scutum Macedonis Alexandri.
Nil prodeſt Clypeus Scæuæ, quo vſus pro Iulio
Cæſare contra Pompeium, centum triginta ictibus
maior triumphauit, dum glorioſè cecidit.
Ades Tv nobis
D. ANDREA
APOSTOLE
Propugnaculum fortiſſimum,

Quia

Quia

In manibus Crucem gestas.

Tu es

Scutum inexpugnabile,

Et

Turris, de qua mille Clypei pendent, in Propugnaculum Christianorum.

Cùm hæc Sancta, & speciosa Crux

In

Martium prolata campum, dum fortitudine irritat, simul territat hostes.

Hæc

Sæuas, rabidasq; Othomanorum legiones, aut dispelit, aut funditùs profligat.

Hæc

Contegens, & protegens Lechiam, tutatur & armat.

Et armans, ornansq; Sarmaticos campos, fert in tutela decus.

Hæc

Constantino Magno in æthere apparuit lucidissima; *his consignata verbis.*

In hoc signo Vinces.

Leuauit Clypeum hunc, & momento vicit, qui solem stare olim iusserat Iosue, leuans in figura Crucem, vt iam tùm vel in sola ipsius vmbra hostium triumpharet.

Ergò

Qui triumphare vis, flecte genu, lignumq; Crucis venerabile adora.

Istius Crucis suauitate ductus

Tu

D. ANDREA

APOSTOLE.

Mundanas deliciarum illecebras, & omnia quæ sunt transitoria, quotidianæq; subiacent mutationi spreuisti.

Reli-

Reliquisti omnia.

Qui totâ nocte laborans nihil cepisti,

imò

Tu captus es à Supremo Piscatore DEO, & non alio quopiam reti, quàm illo

Sequere me,

Faciam te piscatorem hominum,

Iam ampliùs non pisces, verùm homines piscaberis.

Et iam piscator factus es,

Dum

Scythas in Europa, Græcos, Thraces, Macedones, Thessalos, Epyrum, Achaiam,

Totq; Gentes alias, aureo oris facundi hamo piscatus es.

Et illis notitiam veri Dei in carne Crucifixi intulisti.

Tu

Fratrem, Principem Apostolorum, vt genere viuendi Apostolico;

ita & moriendi imitatus es,

Sed, quid inquam Fratrem?

imò,

Ipsum Saluatorem mundi, Magistrum Tuum,

Qui

Salutem humanam in Cruce operatus est.

Quæ Crux

Tantæ dulcedinis, & suauitatis Tibi fuit;

Vt

Iam ascensurus eam, his eandem exosculando allocutus fueris verbis:

Salve Crux pretiosa diu desiderata, sollicitè amata, sine intermissione quæsita, & aliquando cupienti animo præparata; suscipe me ab hominibus, & redde me Magistro meo.

Ascendisti Crucem

Et de illa, velut de aliqua Cathedra, verba ad populum faciens,

Cum Simeone iam dimitti cupiens, Cygneum quia vltimum cecinisti melos, felix vtiq; & inuictus Christi bellator.

Quia in Cruce triumphans.

Debet

Debet Tibi Propugnatori honoris sui,
Et Augustisima Cælorum Regina Deipara Virgo, purisimæ Conceptionis suæ antemurale inuictum, cùm pro ea magno illo oraculo,
Ab Ecclesia Dei recepto,
Verè ANDREAS heroicè, & viriliter certaueris;
cum dixisti:
Quomodo de immaculata terra factus fuerat homo primus. Necessarium fuit, vt de Immaculata Virgine natus Christus, vitam æternam, quam omnes perdiderant, repararet.
Adest & Tibi
ILLVSTRIS, MAGNIFICE, ac GENEROSE DOMINE
D. ANDREA
GORYNSKI.
S. ANDREAS APOSTOLVS
Fortisimum propugnaculum,
Dum
Nomen illius in terris nactus; illius tàm fortunato Patrocinio gaudes
Adest
Vernantibus Illustris Familiæ Tuæ semper delicijs.
Amænisimo ROSÆ Tuæ Viridario.
Hæc Tua Gentilitia. ROSA.
Sarmatico Orbi
A tot sæculis suauisimè fragrans, non tantùm vt reficeret odore Patriam; sed etiam vt pungeret spinis hostes, pariter florida fuit, & inuicta.
Numerat ætates diuturnas, numerat & Heroes Magnos:
quorum Nomina Cœlo inscripta & æternitati donata,
maiora sunt quouis ingenio quamuis ROSAS de illis loquatur.
Suffecerunt Maiores Tui omni gloriæ,
Suffecerunt magnis meritis, & honoribus,
Quibus
Tot fuêre illustria facta,
Quot Rosas Hymettus, & Pæstana Viridaria protulerunt.
Heroica aliorum Nomina vt omittam,
Satis

Satis excellentiæ, & magnitudinis est,
Vel in solo
ILLVSTRI olim AVO TVO
Qui celsitudine animi, Virtutum splendore,
fidei, & integritatis firmamento,
Patriæ murus Acheneus fieri meruit.
Transfusa ab eo in ILLVSTREM Parentem TVVM
Magni Nominis sumitas, fecit rebus Sarmaticis
Heróèm illum,
Qui magnitudine animi inuictâ, murus, & antemurale
Patriæ nihil gloriosius habuit, quàm hostilibus armis obijci; & saluâ Patriâ impetus omnes sustinere.
Quippè
Nullam ætatem inuenies, quæ Magnorum PORAIORVM non testetur æstatem inter belli, pacisq; decora illustrem,
Sed
Vernans semper immortalis gloriæ splendore,
Coronata Patriæ dedit propugnacula.
Quibus ego minimè ero iniurius,
Si illas Diuas Mentes; quas tam ingens Virtutis specimen æternitatis intulit viretis.
Et quæ iam post exantlatos vitæ labores,
Sacrâ pridem fruuntur requie:
Ad Heliconis haud prouocauero vmbras.
Cùm
In TE ILLVSTRIS MAGNIFICE, ac GENEROSE DOMINE
D. ANDREA
GORYNSKI,
Earundem Fama, & Nomina conspiciantur.
Excelsa quoque Mens TVA Magno par Sanguini:
Culturâ ingenij morumq; politissimis dotibus exquisitè instructa.
Tot Maiorum incitamenta, tot authoramenta gloriæ;
eò assurgere fecit;
quò Tibi tot Heroum animæ, traductis per summa omnia vestigijs præiuêre.
Tu iam
Omnem ILLVSTRIS Familiæ Tuæ adimples mensuram.

Quæ

Quæ Tibi
Honorum dignitatumq; auguſtalia pandit, infallibili ſpe in amplisſimis Reip. ſubſellijs,
Gentilitias ROSAS Tuas collocatura
Jn quibus olim amæniſſimè Maiores Tui floruerunt.
Floret
ROSA *flos, odorq; Diuûm,* ROSA *Cælitum voluptas folijs* ROSA *decoris.*
Lætitia veris, & ornamentum, pulchritudo coruſcans, & perenne Gratiarum decus.
Folia eius pulcherrima,
Spargit odores hæc Tua ROSA, per tot areolas,
Jn Horto Orbis Sarmatici plantata, viuacior;
Irrigata purpureo Maiorum Tuorum imbre.
Hic ille ſanguineus imber,
Qui per tot Mauortios campos florere *Maiorum* Tuorum trophæa, & purpuraſcere fecit.
Tibi quoq;
Non vnam tot inter hoſtes Patriæ ſanguineam belli parauit purpuram.
Cùm in illo ingentium bellorum theatro, regnante Polonis Regum fortisſimo
IOANNE CASIMIRO.
Sub Magnis Potoccijs Ducibus.
Et inter tot Achilles Sármatiæ,
Tu quoq; Colluuiem illam Boriſthenicam,
Coſacicos, & Scythicos moloſſos fortiſſimè decertans,
laureas ſanguine hoſtili tinctas retuliſti.
Quàm fortis, & ſtrenuus in opere belli.
Tàm humanus, liberalis, & gratioſus omnibus in negotio pacis,
animo pietatis plenisſimo, quæ DEO ſoli nota,
cùm in ſeruos DEI quoq; redundat.
Sacræ munificentiæ in Religioſas Familias, & in egenorum neceſsitates, nec non miræ in ſubditos clementiæ,
Deo gratiſſimas ſpargit ROSAS.

Spar-

Spargit non degenerem Odorem
ROSA TVA.
Magnæ ſpei, & expectationis Cariſsimus FILIVS,
IOSEPHVS,
Dum
In Florentisſimo Orbis Sarmatici Viridario,
ſcilicet,
In Alma Vniuerſitate Cracouienſi,
Fragrantiſſima ſtudiorum, Virtutumq; colligit incrementa.
Perfunditur illius fragrantisſimo Virtutum odoramine.
Religioſiſſimus, & Admodum Reuerendus Pater
FELICIANVS
RAKOWSKI.
Sac: Th. Doctor, Regens Lublinenſis, Ordinis Minorum S. FRANCISCI Conuentualium,
Auunculus eius;
Adeò,
Vt futuri ex eo Tui ſolatij,
non vanum concipiat augurium,
Quin
In deſideratos Totius ILLVSTRIS Familiæ non excreſcat fructus.
Et Tuæ non ſatisfaciat expectationi.
Et iam pone moram penna
Cùm ſis tantis Heroum Virtutibus impar,
Quas
potiùs venerari, quàm illas laudum præconijs celebrare fas eſt.
Ergò accipe
ILLVSTRIS, Magnifice ac Generoſe Domine
Propugnaculum fortisſimum.

S. AN-

S. ANDREAM
APOSTOLVM.

Patronum Tuum

In gratulatorium argumentum, & debitum à me gratitudinis, & obseruantiæ pignus.

Insufficiens quidem hic conatus meus;
Sed illi gratiam ROSÆ TVÆ fragrantia dabit.
Sub hac ROSA floreas sæculis omnibus,
Ecclesiæ, & Patriæ bono,
Magnoq; sanguinis Tui Coronamento,
Sitq;
Meritorum Tuorum gloria,
semper in flore, semper in auge.
Contra aduersam verò fortunam
Sit Tibi
FORTISSIMVM
DEO benedicente,
S. ANDREAS APOSTOLVS,
Patronus Tuus,
PROPVGNACVLVM.



